

millesimum, consecrantibus illud Præsulibus duodecim, præsentē Serenissimo Imperatore Henrico secundo. Sunt præterea Ultrajecti Cœnobia duo amplissima, alterum Equitum Melitensium, alterum Teutonicorum, suo utrumque templo & superbis admodum ædificiis nobile. Illius præfectus vocatur *Bailivus S. Catharinae*, hujus *Commendatarius domus Teutonice*. Est item egregium & opulentum valde cœnobium Divi Pauli, ordinis olim Benedictini, quod maxime ab incolis accolisque frequentabatur. At inter hæc duo alia potissimum eminent, in nobilium virginum hospitia, *domicellas* vocant, exstructa, alterum ordinis Divi Bernardi, alterum Præmonstratensis.

*Cives. Vri docti.*

Cives Ultrajectini humani, industrii, locupletes. Nec defuere hic unquam viri insignes & eruditione clari. Natus in ea urbe fuit Adrianus VI Pontifex Maximus, infimi ordinis parentibus. Is Lovanii linguarum, artium, atque etiam Theologiæ studiis tantum profecit, ut in eadem Academia ad summos honores emerferit, præfectusque fuerit Carolo V Imperatoris institutioni, à quo primum Legatus in Hispaniam, postea Episcopus Dertulensis factus est, inde Cardinalis, ac postremum Papa, quo munere quum XX menses functus esset, obiit. Mortuo hoc positum est Epitaphium: *Hadrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.* Exstat hodie Ultrajecti domus Hadriani, quam Pontifex exstruendam curavit. Sed quod familiam ducit, nobilitatur clarissima civitas perantiquo & potenti imprimis Episcopatu.

*Batavodurum.*

Diximus de Ultrajecto, de reliquis pauca dicamus. *Batavodurum*, vulgo *Wyck te duersede* opportune admodum situm est ad dexterum Rheni cornu, ubi *Leccæ* appellatio incipit. Ejus mentionem facit Tacitus lib. 5 historiarum, ubi Germanorum, qui postea Franci dicti sunt, manum scribit annexam fuisse, pontem irrumperere, qui Batavoduri recens fuerat inchoatus. Postea etiam nomen habuit *Durostati*. Oppidum fuit potens satis & opibus florens, ob egregiam situm commoditatem. Dirutum legitur à Normannis, qui cuncta ferro & flammis vastabant. postquam cladem erexit se iterum, licet contractius & minori amplitudine. Culenburgo unius, Ultrajecto trium leucarum itinere abest. *Rhenen* oppidulum est quarto à Trajecto milliari ad Rhenum. Tacitus loco jam citato vocat *Grinnes*, narratque oppugnatum fuisse à Clastico, præfecto alæ Trevirorum, defensumque fortiter ab incolis cum multorum cæde, quod in eo, ut & *Vadæ*, (quod nunc *Wageningen* dicimus) cohortium essent, alarumque castra. *Rhena* Trajectum petentibus vasti occurrunt campi, & agri, unde cespites eruuntur. Templum habet Salvatori sacrum, cujus primum lapidem jecere Thomas Gramajus, & Ioannes Calvus.

*Rhena, olim Grinnes.*

*Belgica.*

*Amersfortia* sita est ad torrentem Emam, VI. trajecto tribus leucis distita. Oppidum à situs amœnitate, & civium frequentia laudabile. Aliquoties captum, & mox rursus amissum, pessime autem semper mulctatum fuit à Geldris, ac postremo quidem anno Christi 1543 vi & manu armata invasit Martinus Rossemius Gelriæ Ducis Archistrategus. Sed restituit brevi is ipse Princeps, ex fœdere cum Carolo V Imperatore Venlonæ inito. Anno 1549 dum celebri obsidione Sylvam Ducis cinxisset Princeps Auriacus, exercitus Hispanorum auctus Cæsareanis cohortibus, trajecto Isala, vastataque Velavia, deditioe subita urbem cepit, duce *Cuculo*, verum paucis post diebus, occupata à nostris laudabili strategemate Velavia, cum minus se tutum in hostili agro videret, præcluso jam & obsepto comiteatui itinere, turpi fuga, violatisque quas pepigerant cives conditionibus, eandem deseruit, & juris nostri fecit. *Ema* fluvius (vulgo *de Eem*) in Velavia ortus, medium oppidum intermeat, & uno ab illo milliari in sinum freti australis sese exonerat. Oppidum initio parvum fuit, ut ex antiquo vallo & fossa liquet: postea extensis pomœriis amplificatum, & post supradictam cladem, ab DD. Ordinibus muniri cœptum, variaque opera exterius adjecta. Ad Ortum & Meridiem agros habet frumenti fertilissimos, ad Occasum silvas, ad Septentrionem pascua, & interjecto milliari uno, mare. *Montfortium* flumini Isalæ adjacet, & *Woerdâ*, *Veteraquinio*, *Iselsteinoque* pari unius leucæ intervallo abjungitur. Natus hic *Lambertus Hortensius* vir eruditus & scriptis clarus.

*Amersfortia.*

*Montfortium.*

Fuit olim ditio Ultrajectina amplissima ac potentissima. Sed placuit tandem Carolo Calvo, Gallorum regi, in Episcopatum eam & Comitatum dividere. Ex qua divisione gravissima statim diffidia & diuturna inter Episcopos Trajectenses, & Comites Hollandiæ bella exorta sunt. Illis quidem Imperatorum favore & gratia veterem omnem ditionem recipere: his vero Galliæ regum præsidio portionem recenter partam retinere tentantibus. Cum Batavis, Frisiis, Sicambris acria gessit bella, fortiterque iis omnibus restitit. Verum avorum nostrorum memoria Carolus Dux Gelrorum, bellicosus imprimis & acer militiæ Princeps, tam gravibus eam & continuis bellis impetiit, ut ad incitatas fere Episcopos illos redegerit, & præsertim quidem eorum postremum Henricum Bavarum, Comitum Palatini germanum fratrem, quem non minima ditionis parte mulctavit. Cives in Episcopos suos queruli, ignominiose illos non semel exceperere: maxime vero jam dictum Bavarum, quem, cum quatuor ipsis jam annos præfuisset, & peregre quodam die reverteretur, male in Dominum suum animati, urbis ingressu prohibuerunt. Mox & intromisere

*Res gesta.*

Bbb

Marti-